



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)



PRÆFATIO.

Absoluta, quam Fleurius Abbas
ipsum conscripsit, Ecclesiæ Histo-
ria, accipe, benevole Lector, ejusdem
operis Tomum XXV. & XXVI. seu
continuationis Latine redditæ Partem
I. ac II. Utraque continuati, ac demum
per Martini V. electionem extincti schis-
matis, quod tamdiu tamque atrociter
Ecclesiam vexabat, Historiam exhibet:

Ubi non sine stupore perspicias, ad tollendam exitialem hanc scissionem duo Concilia, Pisanum, & Constantiense fuisse convocata; fenesciente tamen schismatis malo ex ipsismet hisce Synodis nova exorta esse dissidia, illaque eo magis periculosa, *quo vera Religio nullius rei prætextu crudelius oppugnatur, quam ipsius Religionis specie.* Equidem ab initio tam Pisani, quam Constantienses Patres vero Religionis Zelo animati convenere; Pisani, ut hanc pertractarent quæstionem, an sibi liceret, invitis Pontificibus Gregorio XII, & Benedicto XIII. tum Romanam sedem simul occupantibus, Generale Concilium convocare, hosque Pontifices exauctorare; Constantienses vero, ut media pro tollendo schismate a Pisanis tentata efficacius effectui darent. Interim tam hi quam illi auctoritati Pontificiæ litem

move-

movebant, ac non sine gravi Ecclesiæ præjudicio novæ contentionis fomitem subministrabant, non tam horum Patrum culpa, quam perversa illorum voluntate, qui postea remedium, quod tunc temporis infirmo corpori necessarium erat, sano capiti adhibebant, & quidem sub specioso medendi, illudque reformandi obtentu, re tamen ipsa ex privati, suique commodi, atque ambitionis studio. Enimvero Petrum de Luna, qui se Benedictum XIII appellabat, Papæ tui (uti tamen juraverat) cedere recusantem, velut Schismaticum loco movere, opportuna erat medicina; sed jam in ipso illius usu non levis erat mendantium error; num enim, ut vulnus sanaretur, sanum quoque abscindendum erat caput, atque exauctorandus Gregorius Papa legitimus, cui pleraque, eaque nobilissima Christianæ Reipublicæ

membra perfecta adhuc unione adhærebant? Inde autem factum, ut utriusque Pontificis exauâtoratione non modo schisma extinctum non fuerit, sed post Pisanam Synodum trium omnino capitum longe deformius Ecclesiæ monstrum appareret; non aliam ob causam, quam quia, ut Lucanus cecinit:

*Excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
qua morbi duxere manus.*

Pisanis igitur concordiam reducere, nequidquam conantibus, ingravescente nihilominus malo fortius adhiberi debuit remedium; Ergo Synodus Constantiam convocatur; quippe haud ignorabant Patres, quod Gregorii XII, & Benedicti XIII depositio fuerit res *facti*, an vero *juris* adhuc graviter dubitabant; *duse enim obedientiæ* (inquit Petrus de Alliaco Constantiensi Synodo præsens) *hos Pontifices de Papatu non iuste, nec*

canonice depositos, PROBABILITER tenent: quippe, *licet* (ait idem in quodam scripto Constantiensibus Patribus oblato) *Concilium Pisanum probabiliter credatur universalem repræsentasse Ecclesiam; propter hoc tamen non est necessario concludendum, quod a quocunque fidei sit firmiter credendum, illud Concilium errare non potuisse (*)*. Quapropter Constantienses Patres Gregorium adeo non pro deposito habebant, ut etiam ejus Cardinalibus omnem honorem exhiberent, ac Sessione IV. ultro concederent, ut idem Papa Synodum nomine suo per Legatum indiceret, ac Sessione XXV idem Concilium convocaret, atque confirmaret; non quidem ut *amore pacis aliquid fastui Gregorii indulgeretur, ut inquit* Continuator

a 5

tor

(*) Apud Vonder Hardt tom. 2. post medium pag. 201.

tor (*) Maimburgum secutus, qui id fuisse factum comminiscitur, ut Papa *Synagogam suam cum apparatu, pompaque funeraret*; id enim fuisset indulgentia, ac simulatio potius Histrionum digna theatro, quam ab Universalis Synodi gravitate præsumenda. Præterea hæc Pontificum exauctoratio adeo Patribus non probabatur, ut Pisanae Synodi acta, quamvis id nonnulli peterent, confirmare detrectarent (**); prius enim tentandum existimabant, an *dubii* Pontificis auctoritas Synodi Oecumenicæ decretis jure subjici posset. Ad hoc tum temporis ansam præbebat clandestina Joannis XXIII fuga; eo enim abeunte Synodus, cum ex suis æmulis solus ad illam

venif-

(*) *Historiæ Fleury continuatæ tom. XXVI. Lib. CIII. §. XC. fol. 112.*

(**) *Ibidem lib. CII. §. CXVI. fol. 399.*

venisset, sine Capite permanerat; proinde dissoluta credebatur. Attamen, cum apud quatuor Nationum Deputatos statutum esset, quovis demum pacto curare, ut eorum conventus continuaretur, ac pro Generali Synodo haberetur, in Sessione IV, cui tamen septuaginta duntaxat Episcopi interfuere (*), deliberant, atque concludunt, quod Papa in his, quæ pertinent *ad fidem, & schismatis extirpationem* Universali Concilio obedire teneatur. En! legitimæ Synodicæ potestatis usum in ejusmodi casibus. Hoc tamen nonnulli haud contenti, illa quoque verba: *& ad reformationem Ecclesie in Capite, & membris*, adjici postulabant. Tantam sibi auctoritatem a paucis ex una Ecclesiæ parte (exclusis Gregorii XII, & Benedicti XIII adherenti-

(*) *Acta Concilii apud Vander Hardt tom. 4.
p. 73.*

rentibus) arrogari, Cardinales numero viginti duo, Oratores Gallici, totaque Italorum Natio ægerrime ferebant, præcipue quod sacro Cardinalium Collegio tanti momenti decretum, nequidem ad deliberandum fuisset oblatum. Unde *renuerunt Cardinales, Gallicique Oratores Sessionem adire, nisi in primo decreto illa verba de reformatione Ecclesiæ in capite, & membris deleverentur*, quod etiam communi omnium suffragio acceptatum est.

Prævaluit tamen quorundam perveritas, qui altera die contra datam fidem eadem verba assuere præsumperant; qua fraude comperta Cardinalis Florentinus, ubi decretum publice prælegit, hæc verba ex condicito (utpote perperam intrusa) suppressit. Verum tamen, ut scribit Plinius, *recta ingenia a pravo consilio retrahit verecundia, per-versa*

*versa confirmat audacia, ita quidam arrogantiores solius audaciæ, atque importunitatis præsidio fulti, tumultuarie, ac neglecto tam gravis negotii maturo examine, atque insuperhabita sanioris partis oppositione, ac Cardinalium, & Oratorum Regis Franciæ protestatione in Camera paramentorum Palatii Constantiensis secreto facta, hanc clausulam (prius omissam) Sessionis V. decreto intrudunt. Quo facto tripudiant, ac velut de capta præda triumphant: canunt tamen triumphum ante victoriam. Plerumque enim, Livio teste, audacium consilia prima specie læta, progressu dura, eventu tristia esse solent. Ita quoque hi sua petulantia paulo post Ecclesiam novis litibus implicantes, demum ipsimet decretis suis Oecumenicæ legis prærogativam abstulerunt, imo nequidem utraque hac constitutione tantum effi-
cere*

cere potuerunt, ut ejus auctoritas ad ipsum schismatis casum efficax censeretur.

Ceterum hisce decretis nondum veri, certi, ac legitimi Pontificis auctoritas labefactata fuerat; quippe Sessionis IV. Constitutio (prout a Synodo concipiebatur) Papam duntaxat in rebus fidei errantem, ac in schismatis casu Generalis ac legitimi Concilii auctoritati subiciebat; quæ Synodi potestas haud amplius in dubium vocatur; quintæ vero Sessionis decretum, quamvis Papæ personam Synodi judicio, ac correctioni submittat, nullius tamen auctoritatis est, utpote *conciliariter* haud factum, nec unquam approbatum (*). Præterea idem decretum duntaxat, ad temporis, statusque, in

(*) *Vide summam P. Billuart tom. 2. dissert. 4. artic. VII, & VIII. fol. mihi 123.*

in quo tum Ecclesia, fervente schismate, versabatur, rationem restringitur, ut liquet ex ipsismet utriusque decreti verbis, necnon ex repugnantia Theologorum; Hi enim ante Sessionem VII. in quadam congregatione Petro Alliacensi, qui errores Wicleffi *nomine Synodi* dammandos contendebat, sese acriter opponebant, asserentes, *Consilium per se nullam habere auctoritatem, nisi ex capite, proin non debere sententiam ferre neque definire tanquam principale, sed* CAPUT CONCILIO CONSENTIENTE. Utiliter hanc in rem consuli potest Dissertatio Historico-Theologica Rmi D. Matthæi Petitdidier Macrensis Episcopi.

Hæc itaque erat vera Constantiensis Concilii mens, atque sententia; Verum nec hic stetit remedii importune adhibiti incommodum; Basileenses enim supremam sibi auctoritatem arrogandi libidine
stimu-

stimulati Constantiensium Decreta ad quodcunque Generale Concilium, atque adversus Papam etiam certum, verum, ac legitimum Sess. II. extendere haud dubitabant; quam tamen doctrinam pluribus confutare, haud operæ pretium esse arbitramur; nemini enim persuasum est, ejusmodi opinionem ab *Oecumenicæ* Synodi oraculo profluxisse; nec ipsimet Ecclesiæ Gallicanæ Præsules omni laude longe superiores, qui jussu Caroli VII. Regis apud Bituriges celeberrimum illum conventum habebant, Basileensis Synodi decreta circa Concilii auctoritatem Papa superiorem, ad verum, legitimum certumque Pontificem extensa acceptarunt; quapropter in §. VIII. Sanctionis suæ Pragmaticæ disertis verbis ita sese exprimunt: *Universali Synodo ejusque definitionibus & Decretis omnis Catholicus, etiam Romanus*

mus

nus Pontifex, EATENUS OBEDITO,
QUATENUS FIDES, ET SCHISMATUM
explodenda seditio postulat (*). Ecce!
ad quosnam casus Venerandi hi Præsules
hanc legem, licet ad Basileensis Synodi
auctoritatem, Pragmaticam suam sanctio-
nem instruxerint, restringendam cense-
bant; imo nequidem Gallicorum Episco-
porum conventus Anno Christi millesimo
sexcentesimo octogesimo secundo cele-
bratus ad firmandos suos articulos hujus
Concilii auctoritate dicto modo uti digna-
batur; cujus enim ponderis apud Ortho-
doxos haberentur ejusmodi decreta, quæ
non modo a nullo Papa approbata, sed
omnium Pontificum usu, ac sententia
re-

(*) Vide apud *Argentream tom. i. part. 2.*
fol. 233. in Collect. judicior. de novis er-
roribus. Ubi Pragmaticæ capita absque er-
ratis edita reperies, ut ipse testatur.

rejeſta, ab ipſis quoque Generalibus Conciliis Florentino, & Lateranenſi damnata, atque a tot Viris ſanctiſſimis tum illi conciliabulo præſentibus abominationi habita fuere (*). Equidem Baſileenſes, ut ſuæ opinioni quandam auctoritatis ſpeciem conciliarent, Eugenium IV. ad irritandam Synodi diſſolutionem gravi metu compellebant; quin etiam eo inſcio approbationis literas divulgabant, ut teſtatur Cardinalis Turcremata omnium, quæ in hoc conciliabulo geſta fuere, teſtis oculatus: nil tamen inde auctoritatis Baſileenſium auſibus accrevit; Eugenius enim, ut legitur in literis *adhæſionis* hanc conditionem diſertis verbis adjecit: *Si tamen contra Sedis Apoſtolice auctoritatem,*
atque

(*) Hanc in rem utiliter conſuli poterit Hieremias de Benitiis tom. I. de privilegiis Pontificum part. I. art. 4.

atque libertatem gesta prius a Synodo tollantur. Nicolaus vero (si forte & ab illius Bulla auctoritatis vim emendicare non erubescant) nonnisi poenarum, quibus Eugenius Basileenses perstrinxerat, revocationem, necnon concessarum ab eo gratiarum confirmationem amore pacis indulgit.

Quapropter merito cum Macrensi Episcopo concludendum censeo (*): Quod omnes probi ac veri Catholici nunquam Concilii Basileensis mentionem facere deberent, nisi ut illius principia rejiciant, illiusque agendi modum, & callem damnent, sed potius oculos in Synodum Tridentinam, velut in archetypum conjiciant.

Hæc præsentis versionis meæ Tomo præfigere statui, eo animo, ut benevo-

b 2

lus

(*) *Dissertat. Historico-Theologica de mente Concil. Constant. cap. 6.*

lus Lector, ubi in progressu hujus Historiæ Decreta Sessionis IV & V, atque exinde promanantes sententias plenis buccis deprædicari, ulnisque ambabus apprehendi perspexerit, uno velut obtutu cognoscere valeat, quantæ demum illa tam in ortu, progressu, quam in exitu suo auctoritatis existant. Ceterum hæc quæstio justis plurimorum Scriptorum voluminibus usque adeo discussa reperitur, ut Lectoris magis exactam hac super re notitiam quærentis desiderium facili negotio expleri valeat (*); Mirum igitur videtur, qua ratione nonnulli suum huic opinioni patrocini-

(*) *Non erit extra consilium præter alios hoc super argumento consulere P. Gallum Cartierum, qui in suo tractatu de auctoritate, & infallibilitate summorum Pontificum satis solide Benignum Bossuet, & Turnesium confutavit.*

trocinium indulgere velint; cum tamen ea per quatuordecim omnino sæcula ab Universali Ecclesia haud cognita, primum exitialis schismatis occasione a Gersonio, Petro Alliacensi, aliisque paucis, adinventata, a cunctis Christiani Orbis nationibus rejecta sit, ac nonnisi spuris, dubiisque Conciliis, atque argumentis mere negativis innitatur; interea vero ea sententia (ne dicam, fidei dogma) deseratur, quæ tamen unanimi tam retro actorum, quam novissimorum sæculorum consensu firmata, ac ceterarum Universalium Synodorum, summorumque Pontificum auctoritate stabilita esse constat. Olim, inquit Valerius Max: *Maximum erat studium antiquis non solum observandæ, sed etiam amplificandæ Religionis; sique, ut canit Alcimus Avitus: Sit suspecta novum, quæ pandit semita callem, quanto magis timeatur, si in rebus, quæ*

ad fidem accedunt, relicta tuta, trita, ac certa femita ad bivium minus tutum, dubium, atque incertum declinetur. Hæc aliorum reflexioni relinquens, profiteor, me hæc eo tantum animo adduxisse, ut si forte in duobus hisce tomis nonnulla delicatiores Germano-Romani Catholici oculos offendant, mentem meam ex hisce generatim dictis colligere, & si quæ emendanda, ipse emendare possit; cuncta enim annotationibus figillatim castigare, instituti mei rationem excederet.

